



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 39. Bellum in Etruria a Montluco continuatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

possent, deliberabat cum Ferdinando **Sæcul. XVI.**
 Gonzaga, hic vero Regni fines adeo non **A C 1556.**
 esse deserendos censebat, ut potius suaderet, quatenus valida præsidia Civitellæ, Aterno ad Fruentum, nec non Theatinæ Civitati, Ariano, Artemisio, Apuliam versus, ac denique Capuæ, & Nolæ urbibus haud procul Neapoli sitis imponerentur: in quam sententiam statim Albanus, & omnes iere, & Nolæ quidem muniendæ, ac custodiendæ cura Vespasiano Gonzagæ commissa est, Capuam vero Sanflorianus munimentis firmare, & Garsias Toletanus Venusium, & Artemisium, quod nunc Agathæ Fanum appellant, necnon Arianum tueri jussus est: insuper Trivico negotium datum, ut cum copiis, quas habebat, in Apulia se contineret, atque ibi viarum aditus insideret: eoquod ageretur de Neapolitani Regni Provincia redditibus longe amplissima, unde haud temere timebatur, ne Galli hac ex parte irruptionem facere molirentur.

§. XXXIX.

Bellum in Etruria a Montluco continuatum.

Postquam Montlucus Pontificem valere jufferat, in Etruriam venit, vices Subisii expleturus, quem Henricus Galliarum Rex revocaverat. Attamen Mont-

D d 2 lucus

Sæcul. XVI. lucus, quamvis crebra velitatione Hi-
A.C. 1555. spanos lacefferet, nullum tamen majo-

ris momenti facinus ob virium suarum imbecillitatem aggredi poterat: acrius tamen divexabat Cosmam Florentiae Ducem, qui Papæ, Regisque Franciæ amicitiam sibi suspectam habens ingen- tem armorum apparatus in suis ditio- nibus faciebat, ac pro viribus suis Albæ Duci opem ferebat, spe quondam recu- perandæ Senensis Reipublicæ anima- tus: Insuper Castro-cerum in Roman- diolæ finibus situm, Cortonam, & Mon- tem Politianum, ne Montis Ilcini Præ- sidiarii irruerent, munimentis firmabat, nam quamvis nihil a Summo Pontifice pertimescendum sibi videretur, illum ta- men sibi parum propensum existima- bat; quippe Pontifex Joanni ejus filio natu minori Pisanum Archiepiscopatum, ad quem jamjam nominatus erat, con- ferre renuebat. His rationibus permo- tus Montlucus suis copiis in Florenti- nam ditionem excurrere inhibuit, ve- ritus, ne Cosmas suas copias novis sup- plementis augeret, hacque ratione Gui- siæ Dux exercitum suum, cuius adven- tus proxime instabat, non sine periculo distrahere cogeretur.

*Dans le
comm. de
Montluc. l.4.*

§. XL.

